

1.

Q. F. F. Q. S.
DISSERTATIO CRITICO-PHILOLOGICA

DE
METHODO
HEBRAIZANDI
HIEROGLYPHICA,

QUAM,

*Consentiente Ampliff. SENATU Philosoph. in Regio
Athenco Auroico,*

*Publico modestoque Eruditorum examini
subjicit*

JOHANNES
TÖRNQVIST,
PHILOS. MAG.

RESPONDENTE
GUSTAVO RANCKEN,

Stipend. Regio, Tavast.

Die XVIII. Junii, anni 1774.

L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.

69.

blicas ad bibliothecas, unde subsidia peti possent, aditus patuit. Hinc nihil fere aliud, Lector benivole, heic propositum videbis, quam utcunque collectas atque digestas observationum lacinias, quas ex olim lectis aut auditis vel memoria, vel charta conservare potuit. Has igitur, ut aequi bonique consulas, & meliorem in partem interpreteris, Te, qua decet observantia, iterum iterumque rogo.

(a) Alterum sub Præsidio Max. Rever. D:ni Doct. & Prof. ISAACI ROSS, de Methodo Hebraizandi metaphysica, ventil. Aboæ die xviii Junii 1772. Alterum Præside Cel. D:ni Profess. LAUR. O. LEFREN, de veriori indole & valore literæ Hebrææ Aleph, edit. die xxi Julii eodem anno & loco.

(b) Adspice, alios ut taceamus, Auctores a Rev. Dn. Episc. Joh. ENGELSON, in Pr. Gramm. Hebr. Bibl. seu Ling. Hebr. Rest &c. citatos, quorsum Lectores brevit. c. mittimus.

(c) BENED. RINDOR, de Hypothesi Hieroglyphica, interni Litterarum Hebraicarum valoris & seminum sive primitivorum bilitterorum, Aboæ die xxx Junii 1749.

§. II.

Prius vero, quam propius ad institutum progredi liceat, pauca præcipienda videntur de sensu verborum, quæ argumentum disputationis opellæ nostræ expriment, ut radiiores etjam lectores, si quos offenderit, intelligere possint, quid sit id, de quo agere constituimus. Scire igitur licet, tum hieroglyphice hebraizari, cum quis Litteris Hebraicis præter externum illud officium, quod circa sonos modificandos & syllabas constituendas versatur, valorem quandam interioremem tribuit, quo singula elementa, seorsim considerata, notiones quasdam peculiaves insnuant, ex quibus tanquam partibus deinceps constantur notiones totales, quæ
inte.

integræ vocabulis subsunt. Sic, verbi gratia, ex eo, quod litteræ *ALEPH* activitatis, litteræ vero *BETH* capedinis significationem competere sciunt, nomen *בן*, quod ex his litteris conflatum est, vi hypotheseos locum denotabit, unde motus quidam internus se exserit. (a) Hac pictura expressum volunt affectum amoris, qui, cum in animo exastuare cœpit, variis se effectis extra prodit. Atque exinde *בן* patrem valere dicunt, ob affectum amoris, quo is ex se procreata prosequitur. Hujusmodi hypothesein variis superstruunt fundamentis, quorum præcipua sunt, quæ ex *iconibus & nominibus* litterarum Hebraicarum exculpunt. Nam cum vident, nomina litterarum *significativa* esse, adeo ut *ALEPH* bovem, *BETH* domum, *GIMEL* camelum, *DALETH* ostium &c. significet, sub his nominibus *aliquid hieroglyphici* latere suspicantur. Cum vero ulterius animadvertunt, *figuras* singularum litterarum illas ipsas *res*, quas nomina indignant, quodammodo representare, ex suspitione persuasio gignitur, quam vario tum colore ornare, tum robore firmare satagunt, ut mirum non sit, quod hypotheseis hæc, tanquam venusta quædam Helena, viris etiam doctissimis sui amorem moverit. Ne vero quis ex eo, quod aliæ quoque linguæ, quæ partim nominibus, partim iconibus litterarum aliquid hujusmodi præ se ferre videntur, animum inducat singulis hieroglyphicam significandi potestatem tribuere, *plures alias hypotheses*, quibus huic quidem conatui obicem ponant, necesse habent adoptare. Hunc in numerum merito referimus commentum illud Rabbinicum, quo *lingua Hebræa essentialiter divina, sancta & immutabilis* ponitur, reliquæ vero universæ *humana, profana, ac mutabiles* habentur. Hos igitur fucos paulatim detergere & verum vultum hypotheseos aperire conabimur.

(a) Conf. ENGELSTRÖM in Tr. sup. c. p. 17 & 18 coll. cum Ill. J. Dav. MICHAELIS, Beurth. der Mittel, x. p. 95.

§. III.

Omnium igitur primum videre placet, quid roboris habeat illud argumentum, quod a nominibus litterarum lumi solet. Si hæc vera esset ratio argumentandi, jure veremur, ne plus probaret, quam probatum optant, qui hypothese hieroglyphicæ serviunt. Nam cum variæ sint linguæ, quarum litteræ nominibus insignitæ inveniuntur, quæ præter sonos alias quoque res significant, necesse esset, ut singulæ in societatem potestatis hieroglyphicæ venirent. Quis vero ignorat, *litteras Arabicas, Syriacas & Samaritanas*, ut alias præteream, *iisdem gaudere nominibus*? Nonne igitur exinde sequeretur, has quoque *hieroglyphicas* esse. Non equidem ignoro, quid excepturi sint patroni systematis hieroglyphici, esse hæc nomina mutuo sumta ab Hebræis, quorum litteris laudata potestas & originaliter & essentialiter competat; sed nihil eos juvat hæc exceptio, quamdiu evictum non est, neque utra ex lingua, Hebraicæ, an Caldaicæ primitus desumta sint nomina, neque uter character *Samaritanus* ne, an *Assyriacus*, quem etiam quadratum vocant, primævus sit. Quid? quod non desint, qui priscas litterarum figuras penitus obsoletas esse & in neutro hodiernum inveniri, contendunt, (a) Et si vel maxime largiremur, litteras *quadratas* omnium antiquissimas esse, nihilo tamen magis significatum ipsarum hieroglyphicum ex nominibus exsculpere liceret, quandoquidem in confesso est, varias linguas, quæ nihil cum Hebraica commune habent, aliis atque aliis gaudere iconibus litterarum, quarum nomina æque significativa sunt, ac Hebraica. Solenne est iis, qui hypothese hieroglyphicæ patrocinantur, ad *Scripturam Ægyptiorum Symbolicam* provocare, quippe quæ & adpellationis & significationis occasionem iis præbuit. Jam vero fide doctorum virorum constat,

in *Aegypto* repertas fuisse laciniis linteorum scripturam characteribus vulgaribus exaratam exhibentes. (b) Hi characteres inventi fuerunt figura ad icones hieroglyphicas, quæ in *obeliscis Aegyptiacis* hodiernum visuntur, quam proxime accedere. Inventum etiam est, nomen primi vulgari characterum *Ibis*, avem Mercurio sacram significare. Hinc magna fit significatio, nomina etiam reliquarum pari modo significativa fuisse, idque eo verisimilius fit, quod figuræ earum idem suadere videntur. Quicquid de reliquis sit, vel unius exemplum nobis ad minuendam hypotheseos probabilitatem sufficere videtur, eoque magis, quod idem accidisse novimus litteris aliarum quoque linguarum, quæ toto cœlo ab *Hebræa* diversæ sunt. Quis enim, ut exemplo utar domestico, ignorare potest, varias *litteras Gothicas*, quas *Runas* vocamus, nomina habere significativa. Hoc certe extra controversiam ponunt litteræ *Thor*, *Belg-Thor*, *Frey*, *Madur* &c. (c) Quod si igitur ex solis nominibus tuto concludere liceret, sine dubio exinde sequeretur, *Litteris quoque Runicis subesse vim significandæ hieroglyphicam*.


(a) V. inter alios J. D. MICHAELIS I. c. p. 98.

(b) Confer ERH. ANDR. FROMMANNUM de causis nominum litterar. Hebraic. §. XI.

(c) Cfr. OL. v. DALINS Sv. Rik. Hist. p. 222 & 223. 1 Del. andra Upl. Stockholmæ 1763.

§. IV.

Nec multo fortius est alterum Hieroglyphistarum argumentum, quod a *figuris* litterarum exsculpere solent. Quamvis enim non diffiteamur, tales esse *icones* litterarum Hebraicarum, ut illas *ipsas res*, quas nomina earum indigitant, utcumque expriment; eo tamen minus exinde sequitur, quod volunt, quo certius constat, etiam

hoc aliis accidere linguis, quibus ipsi significatum literarum hieroglyphicum nec volunt nec possunt tribuere, nisi suæ hypothese quam maxime nocere velint. Ne quid gratis dixisse videar, ad Alphabeta provoco, quorum modo mentionem feci, *Ægyptiacum* & *Runicum*, quibus etiam *Samaritanum* & *Svecanum* adjecisse juvabit. De *ave* *Ibide*, unde *littera* *Ægyptiaca* *Ibis* nomen accepit, perhibent, quod rostrum inter pennas sub pectore recondendo formare soleat figuram triangularem vel cordiformem. Cumque hæc avis etiam *THOTH* Mercurio dicta fuerit, non desunt qui putant, litteram Græcam *Tbeta* inde & natam & dictam fuisse. Nobis vero *Tbet* Hebraicum propius ad hanc formam accedere videtur. Sed ulterius progredientes observamus, figuram litteræ *MEM*, quæ aquam significat, nihil habere quod aquæ imaginem referat. Contra vero *Mem* *Samaritanum* figura superne undulata similitudinem hujus elementi satis notabilem exhibet. Eandem vero adhuc significantius exprimit *Mem* *Ægyptiacum* , quod illa ipsa gaudet figura, qua, signum aquarii in Calendariis mappisque Geographicis representari solet. Ad *Alphabetum Runicum* si progredi velimus, litteram *Thor* inveniemus, cujus nomen *DEUM* significat, quem majores nostri fulmina & tonitrua evibrare crediderunt. Cumque hæc littera figuram *arcus* haud obscure exhibeat, vi hypotheseos hieroglyphicam esse oportet. In *Alphabeto Hebraico* nihil fere cum oculo commune habet littera, cujus nomen *oculum* significat. Secus vero res se habet in aliis Alphabetis, *Arabico*, *Ægyptiaco*, *Coptico* &c. in quibus figura oculi palpabilis est. (a) Hoc scribenti in memoriam venit littera *Svecana* *Ɔ* vel *c*, cujus nomen *videre* valet. Hujus figura tum minusculatum majuscula imaginem oculi multo clarius, quam *y* Hebræorum exprimit. Litera *Svecana* *s*, cujus nomen sonum serpentis sibilantis exprimit, etiam vi hypotheseos

theseos hieroglyphica esset, cum figura s minusculi serpentem directum, & vero majusculi in spiram convolutum referat. Idem de littera *se* Arabum & quæ huic in Alphabeto Ægyptiaco respondet, multo rectius affirmatur, quam de *s* Hebræorum, quod ex Ægyptiaco formatum videtur, & potius serpentem ringentem, quam id, quod Hieroglyphistis placet, significare præsumitur, nisi forte sagittæ imago fuerit, quo pacto a *ss* venari nomen trahere potuit ob sibilum, quem sagitta evibrata edit. Possemus etiam *ss* Svecanum cum *pugno* unum digitum exferente, & cum *clava*, *stusba*, cujus formam refert, conferre, sed plura adferre non placet, cum vel ex his adpareat, quam lubrico fundamento nitatur argumentatio hieroglyphistarum, qua a figuris litterarum ad valorem earundem internum concludunt.

(a) Vid. VAL. ERN. LÖESCH. S. TH. D. de Causs. L. H. I. ll. c. I. §. xx. Tab. litter. orig. ostend. Francof. & Lips. 1706.

§. V.

Interim tamen negari nequit, quin idoneæ adfuerint causæ, cur veteres litterarum inventores eas his potius, quam aliis *iconibus* exprimere & his potius, quam aliis *nominibus* insignire voluerint. Has igitur causas eo magis refert cognoscere, quo minus hypothesi hieroglyphicæ, quam impugnamus, favere reperiantur. Hoc omnibus artibus commune esse solet, ut a parvis profectæ initiis ad majora incrementa paulatim progrediantur. Idem nobilissimo scribendi artificio accidisse verisimillimum est. Prima igitur rudimenta Scriptionis constituisse videntur in efformandis imaginibus, quæ res ipsas repræsentarent. Sic *taurum* scribere volentes primum totam animalis figuram exprimere conati sunt. Ex quo vero plura scribendi major aut utilitas, aut necessitas varia scriptionis compendia quærere jussit, loco pleniorum rerum adumbrationum partes earum extantiores

res

res effigiare cœperunt, vel alias excogitarunt notas, quæ vice utriusque generis fungerentur. Sic qui taurum representaturi, initio *totam animalis figuram* expresserant, deinde satis habuerunt *solam capitis* formam exsculpere, tandemque & hanc liberius effigiarunt, donec substituerint in signo U vel N , quorum utrumque *nomen tauri* adhuc retinet. Interea singulæ figuræ tota referebant objecta, donec, non sine provido DEI consilio, vir quidam Divini ingenii existeret, (cujas is fuerit nescio,) qui ad naturam linguæ attendens, voces in varios articulos dividere inciperet, animadverteretque, hos articulos non infinitos esse, sed certum numerum efficere, qui idoneis signis seorsim exprimi & ad vocabula componenda variis modis disponi ac compingi possent. Hoc modo modulis sonorum inventis & numero eorum terminato, proxima erat quæstio, unde singulis exprimendis idonea peteret signa. Maturo igitur judicio utens descevit ex maximo numero imaginum hætenus familiarium, eas eligere, quarum objecta omnibus cognita, & quarum nomina ita comparata essent, ut ab illo ipsa inciperet articulo soni, cujus signum deberent constituere. Atque inde factum, ut *bovis* tum icone, tum nomine apud Hebræos insigniretur prima Alphabeti littera, *domus* secunda, *cameli* tertia & sic deinceps. Quis non sentit hanc rationem nominum & characterum litterarum linguæ Hebrææ eo esse verisimiliorem & probabiliorem, quo plus & simplicitatis & commoditatis habet. Quid esse potest simplicius, quam litteris designandis illa ipsa adhibere signa, quæ omnibus trita & nota sint? Quid commodius, quam talia habere signa litterarum, quorum ipse sonus antea notus sine ulla arte auditui discentium se insinuet, & quorum tam cognita sit pictura, ut statim memoriæ occurrant. Si quis tam naviter incredulus sit, ut fidem huic adfero adhibere nolit, ej in

memo-

memoriam revocasse juvabit, quid facere soleant nostri homines, cum tirunculos litteras nostræ linguæ docere velint. Singulæ enim literæ adpingere solent figuram animalis, cujus vel sonus naturalis, vel prima syllaba nominis ipsius literæ valorem ingenerat. Contra vero quis non adgnoscat hypothesein hieroglyphicam tantum involvere saltum, imo volatum ingenii, ut qui eam adoptant, necesse habeant aliquid adsumere, quod naturæ repugnet omnium artium, quæ semper certo ordine a minoribus ad majora & a simplicioribus ad perfectiora progredi solent.

§. VI.

Sed naturam linguarum paulo penitus consideremus, ut quam absurda sit hypothesis, perspiciamus. Hoc omni linguarum generi accidere in confessio est, ut prius loquendi, quam scribendi usus invaleat. Hoc docet ratio, hoc confirmat revelatio. Nam cum DEUS ad Adamum produceret animalia, ut experiretur, quid nominis unicuique eorum imponeret, non adhibuit pingendi aut sculpendi verbum, sed id, quod sonandi & dicendi potestatem habet. Verbum enim אָרָב, quod hic occurrit, citra controversiam sonum edere, non typum exprimere significat. Cumque lapsus esset Adamus, Deusque eum visitare, non icones pictas vidit miser, sed voces sonoras audivit. Quando autem quis loquitur, non singulas litteras seorsim, sed integra vocabula conjunctim profert. Hinc cum animum ad scribendum adpellerent homines initio, quemadmodum supra docuimus, integras voces integris iconibus representabant. Hoc omnium gentium historia testatur, cujus rei aliqua hic specimina daremus, nisi brevitati esset studendum nobisque otium fecisset Auctor doctissimæ inquisitionis de causis

nominum Litterarum Hebraicarum (a). Quod si igitur singula vocabula in partes minores divisisse, hasque suis signis notasse fingantur primi litterarum inventores, prius de syllabis, quam de litteris cogitandum fuisset. Et si quid hieroglyphici litteris tribuendum foret, non aliud id esset, quam cui occasionem praeuisset sonus naturalis animalium, quale quid ad litteram *f*. §. IV. observavimus. Hoc pacto potuisset *b*, balatum ovis *be* vel *ba* significans, forma *arietis* notari, & hirritum canis *err* vel *arr* sonans, figura *canis* signari. Sed quis non videt, in his & similibus ad syllabas fieri regressum, tantaque difficultatis fuisse singulas litteras singulis signis exprimere, ut hanc artem ad prima scribendi initia referre velle in alios cadere non posset, quam quos eo necessitatis deduxisset servitus hypotheseos. Quod vero prius sit varia objecta signis sonoris seu vocibus, quam notis pictis seu iconibus significare, innumera docent vocabula onomatopoëtica, quae etiam in lingua Hebraea occurrunt. Sic כּוּכּוּ latrare significat, non quod כּ *cubum* כּוּ *nexum* כּוּ *subfultum* significat, sed quod canis cum latrat, *babb, babb, babb*, sonat. Pari modo צפצפ *aviculam* valet, non quod צ *contiguitatem*, פ *angulositatem*, צפ *vacuitatem* dicit, sed quod aviculæ *tsip, tsip* dicere solent; Eodem modo quo nostri pueri aviculas, neglecto sibilo, *Tippor* vocant. Interim tamen ii non sumus, qui omnia Hebraeorum vocabula mere Onomatopoëtica esse contendamus, quin potius adfentemur illustri J. D. Michaëlis, qui pluribus ex fontibus significationes eorum derivandas variis exemplis demonstravit.

(a) Cfr. FROMM. Opusc. Philol. atque Hist. Arg. in unam coll. Tom. II. Coburg. 1770. Loc. cit. p. 117 seq. & BAUMGART. Allgemeine Geschichte der Länder und Völker von America, Halle, 1752.

§. VII.

Nihil vero tam minuit probabilitatem hypotheseos hieroglyphicæ, quam quod, quanta quanta est, meris abstractionibus, iisque ut subtilissimis, ita incertissimis superstructa invenitur, unde nuper laudato viro doctissimo *error audit omnium singularissimus & ingeniosissimus.* (a) Præterquam enim quod ineptum videtur, rudioribus hominibus, qui prima scribendi rudimenta reliquerunt plus quam Scholasticam tribuere subtilitatem, eo nomine vel maxime peccat hypothesis, quod notiones, quæ hac machina fabricantur, adeo vagæ & laxæ sunt, ut nimis non dicerem, si eam commodissimum instrumentum quilibet ex quolibet eliciendi & certum DEI verbum in nasum cereum convertendi adpellarim. Mirari igitur convenit, quid viro illi docto in mentem venerit, qui adeo hanc thesin deperibat, ut cum alius vir doctus larvæ formosæ illius Helenæ detrahere sustineret, *conatum ejus inter molinsina referret Satana, qui tantum thesaurum Ecclesiæ invidens hoc ej consilium suggessisset b.)* Ne vero magna nomina, quæ in catalogo patronorum systematis hieroglyphici tanquam stellæ primæ magnitudinis fulgent, obsecurare velle videar, idque facere, quod HIEROSTRATES, qui templum Dianæ Ephesinæ incendit, sincere fateor, me acumen eorum impense admirari, sed hoc tamen non impedit, quominus aliorum luce utens, id cernere queam, quod amor hypoteseos eos perspicere non permittit. Prudenter fecisse videntur, quod nihil ex principiis hieroglyphicis demonstrandum sciverunt, nisi quod *usui Biblico* superstructum inveniretur, sed cum illas quoque ipsas notiones vocum hac face illustrare conati sint, quas canus *error in Lexica Hebraica*, quorum scita ipsis *usui Biblico* audiunt, introduxit, facile adparet, hoc instrumentum æque ad *falsum colorandum* atque

ad *verum roborandum* adhiberi posse. Quid? quod *Philologus hieroglyphicus* in perpetuo *errandi periculo* tamdiu veritari necesse habeat, quamdiu aliis argumentis evictum non sit, veritati convenire significatus vocum, quas is operosa sua machina sibi ulterius perpoliendos sumserit. Si vero aliunde latis & cognita & probata sit veritas notionum, cui bono est totus hic tam speciosus & curiosus eruditorum adparatus? Si, verbi causa, ex infinitis exemplis Biblicis constet, nomen אב significare Patrem, & quid pater sit nemo hominum ignoret, quid ex eo proficio, si Philologus quidam hieroglyphicus hoc mihi revelat arcanum, אב illum esse, qui filium habet & amat, ut supra docuimus.

(a) In EJUS Burch. der Mittel. 2c. Götting. 1757 p. 88.

(b) Cfr. l. c. p. 95.

§. VIII.

Superest, ut verbo aliquid moneamus de tripode, cui hypothesin suam hieroglyphicam imponunt Auctores, cum eam a *divinitate, sanctitate & immutabilitate* linguæ Hebraeæ auxilium petere jubent. Singulae hæ hypotheses cum ipsa infirmo nitantur fundamento, utpote quæ nihil fere nisi nugamenta rabbinica redolent, ædificio hieroglyphico plus roboris tribuere nequeunt, quam quod ipsa habent. Primo igitur ingenue fatemur, nihil nobis absurdius videri, quam divinam dicere linguam, quam ipsa scriptura Sacra humanam vocat, & ingenio humano, saltem quod ad partem, ortum debere docet. Interim facile ferimus hanc nomenclaturam, quamdiu eatenus tantum divinam adpellant, quatenus colloquia divina olim cum hominibus ea instituta fuerunt, & quatenus oracula divina ea primitus exarata hodiernum legimus. Simul vero ac quis sensu Rabbinico *essentialem* quandam *divinitatem* ipsi tribuit, Deoque optimo maximo ut *causam* quandam *sociam* in creando & regendo hoc

hoc universo adjungit, inter putidissima signenta tam splendidam enunciatum merito referimus. Idem fere de *sanctitate essentiali* judicium ferimus. Singulis certe litteris litterarumque ductibus & apicibus hoc genus sanctitatis tribuere eo absurdus est, quo certius ex divinis libris constat, hac lingua referri potuisse dicta & facta, quæ impiissima esse, nemo negare potest. Sed de hac re prolixius disputare non vacat. Propius ad propositum spectat observasse, quo animo & consilio Judæi eorumque Rabbini sanctitatem linguæ suæ tan-
topere crepent. Duas igitur facti rationes invenimus, alteram, ut habeant, quo se super omnes alias gentes eminere demonstrent, alteram, ut illam solam & dignam & idoneam esse probent, qua divina proponantur eloquia. Ex hac posteriori hypothese has deducunt sequelas, omnia cætera linguarum idiomata & nominatim Syrum atque Græcum, utpote profana, prorsus & inepta & indigna esse, quibus vera religio doceatur, ob eamque causam spuria esse omnia, quæ Christiani aliis linguis de mysteriis suæ religionis tradiderunt. En pulcras natales speciosi tituli *sanctitatis* L. H. (a) Quantum ex eo roboris lucretur hypothesis hieroglyphica, Lectoribus æstimandum brevitatis causa relinquimus, ad illud quod restat momentum properantes.

(a) De quibus ulterius, si placet, leg. merentur ALB. SCHULTENS Excurf. I. II. & III. ad Diff. Hist. de lingua Primæva, nec non ERH. AND. FROMM. Op. antea cit. de sanctitate ling. Hebr. & sic porro.

§. IX.

Hoc in immutabilitate Linguæ Hebrææ positum esse, supra observavimus. Nunc, quid de hac hypothese tenendum sit, videbimus. Quamvis enim non modo di-

vinam & sanctam, sed etiam divinissimam & sanctissimam esse lagiremur, nihil tamen exinde lucri perciperet systema hieroglyphicum, nisi hypothesis immutabilitatis, solidis argumentis adstrui posset. Tantum vero abest, ut hoc factum sit, ut fieri prorsus non possit, quamdiu non modo incertum est, quo caractere primitus exaratus fuerit Sacer Codex, sed ipse etiam Textus Hebraeus affatim exhibet documentorum, unde ad oculum demonstrari possit, linguam, qua is hodie exaratus legitur, non aliter se habere ad *linguam primævam* Adami, quam hodierna *Svecana* ad antiquam *Gothicam* se habet. Sed hoc argumentum satis & distincte & copiose expositum est ab aliis; quare pedem hic figimus, hoc uno tantum adjecto, esse nihilominus linguam Hebraeam, quæ in *Sacris Bibliis* habetur, tam claram & certam, ut qui ad eam discendam vera grassetur via, eum nunquam laboris poeniteat.



Hoc in immutabilitate Linguae Hebraeae possumus esse
 se laque observare. Nunc quid de hac hypothesis
 tenendum sit videbimus. Quamvis enim non modo di-